

quennium perseverans integrum LOBECHIUS, ita
vitam, studia, & mores instituit, ut charus esset omni-
bus, adversus nemini, sodalibus se non præponeret, sed
si quem videret industrium, illum honestè æmularetur;
adeò ut facilimè sine invidia laudem inveniret, & ami-
cos pararet plurimos. Itaq; certatim eum amare o-
cæperunt convictores: inter quos principem tunc te-
nebat locum vir jam Clarissimus & consultissimus Dn.
ERNESTUS COTMANNUS, antecessor Academiæ
noster dignissimus; qui eum à prima illa familiaritate non
amavit tantū, sed ob divina ingenij dona, quæ indies incre-
menta sumere in eo videbat, deinceps coluit & suspexit
plurimū; qui iq; tanto nunc sortem Academiæ, cognito
hoc tristissimo planeq; insperato tanti viri, tantiq; amici
discessu deplorat acerbius, quanto LOBECHIUM scivit esse
virum omnium bonorum amore dignorem, Theolo-
gum præstantiorē, quantoq; ipse eum dilexit impensius.

Cæterum perpetuò sibi in memoriam revocans LO-
BECHIUS missum se in hanc litterarū & doctrinæ officinam,
non ut in segni otio ætatem inglorius transigeret, sed ut
quotidiè proficiendo evaderet melior: turpe sibi futurum
recte secum reputavit, si quem diligentia cursum ab
ipso studiorum auspicio esset ingressus, eundem non in
continuandis & perficiendis ijs pari cum alacritate tene-
ret. Quapropter remoram nullam honesto suo proposito
injici passus est, quin tanto ad laborandum exstimula-
tum ipsum acrius fuisse accepimus, quanto majora sibi &
graviora ad discendum indies proponi videret. Vnde et-
jam factum, ut paucorum annorum spatio, linguarum i-
starum principum, ipsa dominini & salvatoris nostri cruce
nobilitatarum, adeoq; Philosophiae totius, & imprimis
Matheseos cognitionem haud vulgarem consequeretur: sic

ut